

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio XXXIII.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Reftore


*Respondente,*

GEORGIO BELOVIO

Calegia Saxone

*Dominica II. poft Trinitatis*

*A. O. R. clb. lbc. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*

*schlegelij*

*In Untz*

DIVITARIUM  
EVANGELICARUM

Disputatio XXXIIII

PRAESIDE  
CHRISTIANO GUBINZIO

Georgio Gubinzio

Rectori

Responsoria

GEORGIO GUBINZIO

Caesari Saxoniae

Domino Illustri

et O. R. Ch. Saxoniae

Electori

HALLENSIS SAXONIAE

Universitatis

Librarius



ANALYSIS  
**EVANGELII**  
DOMINICA II. POST TRINITY  
TATIS

Luc. 14. à v. 16. usq; ad v. 25.

PRÆMETIA.



*Abetur Esth. 1, 3. Abas-  
sverum regem Persia & pro-  
vinciarum centum & viginti se-  
ptē, anno tertio regni sui, optima-  
tibus epulum paravisse laucisimum. Rex re-  
gum, & plus quam Abasverus Iesus Christus  
itidem anno tertio predicationis sue univer-  
sum orbem invitavit ad epulum beatissimum,  
in quo non fercula opipara corporalia, sed spi-  
ritualia gratia offert; nec durat tantum cen-  
tum & octoginta diebus, sive mensibus sex, sed  
in seculorum secula. Quemadmodum id u-  
berius describitur in pericope Evangelica.*

E

THE-



## THESIS I.

**I**N qua proponitur nobis, partim invita-  
tor gratiolus, & magnificus: idq; osten-  
dit convivii magni præparatio v. 16. In quo  
tum subjectum vagum. Homo quidam  
*Per quem intelligitur ipse Deus, qui hominem  
ad sui imaginem creavit, & per filium suum  
recreavit. Atq; ita hominem vocat Christus  
suum misericordem patrem. Quando enim,  
habet Theophyl. in Lucam vindicat homi-  
num peccata, panteram, ursum & pardum  
eum vocat. Os. 13, 7. Quando verò miseri-  
cordiam vult insnuare, hominem inducit:  
nam licet sit spiritus ratione essentia, parabo-  
licè tamen hic cum homine confertur propter  
Φιλανθρωπίαν.*

2. Tum prædicatum, quod declara-  
tur ab effectis, partim quoad præparatio-  
nem, absolutè: paraverat cœnam. Nempe  
per prædicationem Evangelii de salute nostra  
& vita æterna, quia filius Dei sub vesperam  
hujus mundi pro nobis mactatus est. Et sicut  
cœna fessos operarios reficit; ita etiam Evan-  
gelii doctrina. Non, quia vocatur prandium  
cœna restat, post cœnam verò convivium nul-  
lum, habet Gregor. homil. 36. sup. Evang.  
Et

Et cœna hujus magna paratura vite eterne saturitatem figurat, habet Tertull. adversus Marcionem cap. 31. estq<sub>3</sub> satiety dulcedinis interne & intima purissima, maximèq<sub>3</sub> sensibilis fundi melioris, in quo est regnum Dei, ait Taulerus sermone in hanc Dominicam in principio.

3. Comparatè: magnam. Propter autorem magnum, qui eam apparavit, 1. Tim. 6.6. 2. propter servos magnos, nempe propter Prophetas & Apostolos, propter hospitiū multitudinem, propter deniq<sub>3</sub> durationem: & quia, ut Theophyl. ait ex confesso magnum est salutis nostre mysterium.

4. Tum quoad in invitationem: & vocavit multos. Nempe ab origine mundi omnes omninò homines. Es. 55, 1. non enim vocabulum multi sumitur separativè aut distributivè, sed collectivè, sicut & Dan. 12, 2. Rom. 5, 15. Sic Abraham multarum gentium, dicitur pater, Gen. 17, 5. & tamen illud post modum exponitur per omnes, dum dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes Gen. 22, 18. Et Christus dicit, se dare animam suam in redemptionem pro multis Matth. 20, 28. Id quod Paulus explicat per omnes 1. Tim. 2, 6. Et licet hoc loco respiciantur Iudæi primariò ex

Actor, 13, 46. (fuerunt enim selectum Dei pe-  
culium,) tamen non ceteri fuerunt exclusi:  
Vti patet in Iobo, Ruthe, Rechabeame, Nae-  
mane: postmodum enim, ubi Iudaei semetipsos  
fecerunt indignos, omnes sunt vocata etiam  
gentes, quia Deus vult nullum perire 2. Petr.  
3, 9. sed vult omnes salvos fieri 1. Tim. 2, 4. sa-  
lutarem enim ad Deum conversionem cunctis  
ex gentibus ad Deum magna voce vocat, habet  
Ambros. lib. 2. c. 1. de vocatione Gentium.  
Quod autem non semper ubi vis lecorum pre-  
dicetur Evangelium, non est crimen vocantis,  
sed vocatorum, habet Chrysost. Hom. 7. in  
Matth. Fuit ergo tale tempus quando Deus  
omnes vocavit, ut cum dicitur Es. 55, 1. omnes  
sumentes venite. Et predicatum etiam fuit Ev-  
angelium omni creatura, qua sub sole est,  
Col. 1, 23. Tanta quippe est Dei Φιλανθρω-  
πία ut merito exclamemus cum Psalmista:  
Gustate & videte, quam suavis Iehova. Ac  
si aperte diceret, suavitatem eius non agnoscitis,  
si hanc minimè gustatis, habet Greg. Magnus  
Hom. 36. super Evangel.

5. Et ad convivium invitatio v. 17.  
in qua causa formalis, quo denotatur effe-  
ctus: & dimisit servum suum. Per quos in-  
telligit Patriarchas, Prophetas, Apostolos: ni-

mirum



69

mirum vocat per se, inquit Gregor. vocat per angelos, vocat & per patres, vocat per Apostolos, vocat per Pastores: vocat etiam per nos, vocat plerunq; per miracula, vocat plerunq; per flagella, vocabit aliquando per mundi huius prospera. Et quis est servus ille? inquit Theophyl. in Lucam, is, qui in forma servi assumpta homo factus, & homo missus est: non enim dixit servi, sed cum articulo servum illum suum, qui juxta formam humanam ei placuit & servivit. Dicitur autem unus, quia una est omnium doctrina & fides.

6. Et tempus: hora cœnæ. Hoc est tempore Christi exhibiti, quid enim hora cœnæ nisi finis mundi? habet Gregorius, in quo nimirum sumus, & finis seculi, ubi tempus adhuc gratiæ. Non excluditur tamen etiam cuiusq; vocationis tempus, vel quàm diu dies salutis est ex Es. 49. 8.

7. Causa finalis per declarationem generaliter: ut diceret invitatis. Consistit enim munus invitatorum in dicendo. Unde Ezech 33. 9. dicitur: dic ipsis. Et qui sunt, qui invitati? querit Theophyl. in Lucam, fortasse omnes homines. Omnes sane vocati sunt ad hanc cœnam, partim per ordinatam visibilium mediorem constitutionem, partim

per naturalem legem. Prius autem ad Israelitas, qui per legem & Prophetas vocati fuerunt, missus est dominus, Matth. 15, 24. postmodum etiam ad alios.

8. Specialiter: Venite! Ita enim invitatur regius Psaltes: venite adoremus Ps. 95, 6. ita coelestis sapientia minister: Venite ad vescendum panem meum Prov. 9, 5. ita Esaias, venite domus Iacob Es. 2, 5 ita Michaeas, venite ascendamus montem Domini Mich. 4, 2. ita Christus Matt. 11, 28. Venite ad me omnes. Et quidem serio: nam si hic aliud sensit, habet Laetant. aliud locutus, qui aliter appellandus, quam deceptor, bilinguis, malus? de ira Dei c. 4. Ideoque non debent tacere ministri, sed clamare: venite; & cogitare illud Chrysostr. quod habet homilia 26. c. 3. in Joh. licet me frustra loqui non ignorem, non tamen cessabo: ita apud Dominum excusabor, quamvis nemo me audiat. Venimus autem ad coenam non pedibus, sed fide & mentis affectu.

9. Et per rationem: quia iam parata sunt omnia. Vbi notemus jucundam vocem omnia. Ergo ne verearis, habet Ambros. lib. 1. de Voc. c. 5. ne in convivio Ecclesia aut grati odores, aut dulces cibi, aut diversi potus, aut convivae nobiles desint, aut decentes ministri

stri

71

*Ari.* Omnia sunt parata, quia regnum nobis paravit ab initio mundi *Matth. 25, 34.* Ante iacta mundi fundamenta *Eph. 1, 4.* Antequam boni vel mali quid fecissemus, *Rom. 9, 11.* Adest panis de caelo *Iob. 6, 33.* Caro Christi *ibidem,* potus caelestis, *Iob. 4, 14.* consummatum est quoad salutis nostrae acquisitionem. Ut appareat, omnia ad salutem nostram facientia nempe respectu nostri esse gratuita.

10. Partim hospes morosus, idque ostenditur tum absolute, ubi sese excusavit propter divitiarum curam, & est agri comparatio v. 18. in quo conjunctim per proso-  
popœiam dialogisticam in genere est recu-  
satio: Et ceperunt simul omnes se excusa-  
re. Vno quasi animo & uno quasi consensu ex  
compacto & constituto. Intelliguntur autem  
Iudaei, & ingrati Pharisei: imò omnes verbi  
contemptores. Invitantes quidem exceperunt,  
sed cœnam repudiarunt, inquit Aug. de verb.  
Domini ser. 33. Ita & prophetas legerunt, &  
Christum occiderunt. Et istae sunt excusati-  
ones, quae impediunt omnes homines, qui ad  
istam cœnam venire detrectant. Ut ita osten-  
datur hominibus nunquam excusationes deesse.  
Sic protoplasti serpentem pratēdunt, *Gen. 3, 13.*  
Sodomita peregrinitatem Lothi *Gen. 19, 9.*  
Pha-

Pharao otium populi Exod. 5, 5. Aaron coarctationem Exod. 32, 23. Ergo culpa non est in Deo, qui serio vocat, nec vult mortem peccatoris, Ez. 33, 11. sed est invocatis: vix enim est aliquis qui obediat, Dominus omnes clementer invitat, sed nos aut error aut desidia avertit, ait Ambr. lib. 7. in Luc. Offert Deus, quod orari debet, quod vix sperari poterat. Et tamen simul omnes se excusant, ait Gregor. Hom. 36. Adeo usitatum eodem asserente l. 22. Moral. Expos. c. 9. generis humani vitium, & latendo peccata committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare. Ad Dei invitamur convivium, & nos excusamus & tergiversamur.

11. Distinctim forma excusationis proponitur, & quidem proponitur impedimentum propter effectum, quoad antecedens: Primus dixit ei, villam emi. Per quam intelligitur Synecdochice agricultura, ac rei familiaris cura, cum villa etiam illum comparat, qui propter mundanam sapientiam, non accipit mysterium. Villa enim est, inquit Theoph. mundus & natura simpliciter, qui autem naturam observat, non recipit hoc quod supernaturam. Inq. villa empta dominatio notatur, & superbia castigatur: habere enim villam,

tenere, possidere hominis vitium malum, vitium primum est, ut habet August. de verbo Domini. Primus enim homo dominari voluit, qui imperium habere noluit: quid enim est dominari aliud, quā propria potestate gaudere? Non quidem agri emptio per se mala est: quia Abraham emit agrum ab Ephrone Ge. 23. 16. David ab Arname 1. Paralip. 21, 25 Jeremias ab Hananeele Ierm. 32, 9. Noa excoluit agrum Gen. 9, 20. Isaac consevit agrum Gen. 26, 12. Eliseus aravit 1. Reg. 19, 19. Et qui agrum diligenter colit, ait Siracid. 20, 30. auget cervos suos. Unde, inquit Cassiodorus l. 9. Epist. 3. aurum per bella quarere nefas est, per maria periculum, per falsitates opprobrium, in sua vero natura iustitia. Sed ita agrorum cultura obeunda, ne anxia sollicitudo à vocatione à pietate & auditu verbi divini nos abstrahat. Quarendum enim primum regnum Dei, Matt. 6, 33. & eligenda optima pars, Luc. 10, 42. Unde inquit Greg. Magn. plus gaude bono opere, quā bona possessione Hom. 36. in Evang.

12. Quoad consequens: necesse est mihi exire & videre illam. Non quasi prius emerit, & postmodum viderit, quod est stultum, & contra mandatum Proverb. 31. 16. sed instrare voluit: Sed  
quid

*quid videt de terrenis bonis? videt, prater ea q<sup>3</sup>  
nihil Eccl. 5, 10.*

13. Et petitum, quoad objectū: rogo  
te. *Vbi quidem dicit hoc, & tamen con-  
temnit. Humilitas sonat in voce, superbia in a-  
ctione, ait Gregor.*

14. Et quoad modum: Habe me ex-  
cusatum. *Ac si sufficiens foret causa emanendi  
à cœna: talis excusatio, est accusatio inquit Au-  
gust lib. 14. de civit. Dei quia transgressio di-  
vini mandati apparet. Cura itaq<sup>3</sup> mundana à  
cœna nos avocare non debent.*

15. Et boum emptionis allegatio v.  
19. in quo causa efficiens: et alter dixit. *Neg<sup>3</sup>  
enim omnes unam allegant excusationē, sed di-  
versi diversa. Ita prim<sup>9</sup> villic<sup>9</sup> erat, alter pecu-  
arius; primus praterdebat necessitatem, alter  
utilitatem.*

16. Et forma excusationis, iterum  
quoad impedimentum respectu antecede-  
tis: Juga boum emi. *Vbi iterum per Synechd.  
numerus certus pro incerto, & species pro gene-  
re ponitur: denotaturq<sup>3</sup> carnalis homo, q<sup>3</sup> quinq<sup>3</sup>  
sensus animæ corporaliter con'inxit, & animā  
carnē fecit, habet Theoph. Sunt enim quinq<sup>3</sup>  
sensus corporis, ut visus in oculis, audit<sup>9</sup> in au-  
ribus, olfactus in naribus, gustus in faucibus,  
tactus*

partus in manibus, & ipsa juga sunt, habet Au-  
 gust. de 4. feria c. 1. Duo enim sunt oculi, duæ  
 nares, geminae aures, duæ manus, & ipso gustu  
 geminū quiddam invenitur, quando sapor iste  
 faucibus, atq; palato judicante discernitur.  
 Quæ quinq; non hominum plane juga, sed bo-  
 um, monet Bernh. super Matth. dixit Simon  
 ad Jesum. Quæ tibi insipienter emisti. Non  
 quidem quasi emere iuga boum & pecudes ha-  
 bere, sit malum, siquidem & Abraham dives  
 erat pecoris. Gen. 12, 16. Loth Gen. 13, 2. Iacob  
 1, 3. sed providendum, ne boves & pecudes præ-  
 ferantur Christo agno. Dei, uti Gergeseni sues  
 præferunt Matt. 8, 28. Neq; mercatura sim-  
 pliciter illicita, modo sit justum pondus, &  
 mensura, Sir. 42, 4. hoc enim est beneplacitum  
 Domini Prov. 11, 1.

17. Consequens: & eo ad proban-  
 dum illa. illis, nempe monet August. loco di-  
 cto quinq; sensuum nō delectationem, quæ per-  
 mulcet & ingerit voluptatem, sed curiositatem  
 quandam denotatam fuisse: nō enim ait eo pa-  
 scere illa, sed probare.

18. Petitum, continet in genere mo-  
 dum: rogo te. Atq; petit humiliter, sed agit  
 futiliter. In specie: habe me excusatum. Ac  
 si etiam talia mererentur excusationem, cum  
 nihil

nihil sic Diabolo subijci hominem faciat ac in-  
 hiare opibus, atq; habendi amore superari, ait  
 Chrysoft. Hom. 13. in Matth.

19. Et propter voluptatum indul-  
 gentiam, ubi nuptiarum celebratio v. 20. in  
 quo iterum causa efficiens: & alius dixit. Di-  
 versi quippe pretextus, quo minus pareant Deo  
 homines: omnesq; videntur pretendere honestas  
 excusationes, uti hic allegat impossibilitatem.  
 Ad tria verò ista vitia reducuntur omnia ex-  
 cludentia à beatitudine cœlesti, secundum  
 quod dicit Iohannes, 1. Ep. 2. 16. Omne quod  
 est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut  
 concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.  
 Gentiles propter immoderatum affectum tem-  
 poralium; Judæi, qui Christum respicientes jugum  
 legis cervicibus suis imponunt; Heretici, qui  
 velut Eva foemineo affectu tenent rigorem fidei  
 & lubrica facilitate prolabentes lenocinia falsi  
 decoris affectant, intemeratam negligentes pul-  
 chritudinem veritatis: sunt autem tria illa ge-  
 nera, quæ à magna cœna videntur excludi, ut  
 habet Glossa Ordinaria.

20. Formalis causa, ubi impedi-  
 mentum: uxorem duxi. Et ista est voluptas  
 carnis, quæ multos impedit. Et adhuc ho-  
 die sunt multi, qui dicunt, non esse illis  
 bene



bene nisi cui assunt carnis delicia, habet Au-  
 gust. : de verbo Domini serm. 34. Voluptua-  
 rius utiq, qui carni, ut conjugii, anima alligatus  
 est, ait Theoph. in Lucam. Non verò quasi  
 conjugium per se sit malum, est enim ordina-  
 tio Dei Gen. 2, 18. Matth. 19. 4. cum & August.  
 l. de sancta virginitate c. 20, castitatem con-  
 jugalem appellat, & pudicas nuptias sed qui li-  
 bidinis tantum explenda gratia uxores ducunt  
 & voluptatum carnalium ergo nubunt, illi  
 peccant, & in potestate dæmonum sunt, Tob.  
 6, 16. Bonum enim conjugii, non fervor concu-  
 piscentie sed licitus quidam & honestus illo fer-  
 vore utendi modus propaganda proli, non ex-  
 plenda libidini accommodatus. Voluntas illa,  
 non voluptas illa nuptialis est, ait August.  
 lib. 1. de Peccat. Mer. & Rom. c. 29

21. Et argumentum & ideo non  
 possum venire. Quæ causa fuit, quare, cum  
 prætulit uxorem, Deo improbus & indignus  
 habitus: uxorem enim habens, sic studeat  
 placere conjugii ut non displiceat conditoris:  
 conjugium enim debet esse fidei, patientia, con-  
 stantia, charitatis aliarumq, virtutum gy-  
 mnasium, non impedimentum, ut habet Chryf.  
 hom. 60, in c. 10, in Johan, sic nec liberorum

pro-

procreatio mala, sed scortatio; neq; opes malæ, sed immodica habēdi cupiditas. Ideoq; pro certo constat in rebus nihil mali esse, nisi ab usum; qui semper solet accidere ex mentis negligentia; circa spiritualium agriculturam, ait Maximus Cent. 3. sent. 4.

22. Comparatè, quoad aliorum vocationem, quæ habent & causam, & est domini indignatio v. 21. in quo ex effectu perrelata, ubi de seruo narratio respectu facti: & reversus servus. Postquam scil. invitaverat hospites, ei q; denegaverant adventum.

23. Respectu dicti: renunciavit hæc domino suo. Quia hoc est fidelis servi. Sic Baptista discipuli Christo referunt magistri sui necem Matth. 14, 12. sic Apostoli de Herode, & aliis Act. 4, 8. Ut discamus nobis id ipsum quoq; faciendum.

24. De Domino, & summam respectu affectus: tunc iratus paterfamilias. Ob contemptum & futes pretextus ingratitude q; magnam. Nihil enim magis ad iram provocat Deum quàm ingratitude. Et quem admodum erga pios indulgentissimus pater est, sic adversus impios rectissimus iudex est, habet Lactantius lib. de falsa Religione c. 1.

26. Re-

25. Respectu affatus: dixit servo suo. Nimirum in ipsa iracundia. Non quasi vocatio ex ea proficiscatur, sed ipsorum pœna: ita enim irascitur Deus, ut una misereatur.

26. Sigillatim, quoad antecedens. ab effectu: Exi cito! Non ergò diu moratus, sed statim alios curat vocari. Ut discamus, officium faciendâ esse indefinenter & diligenter.

27. Et ab objecto loco: In plateas & vicos civitatis. Oportuit quidem prius annuciari Evangelium Judais, sed postquam respuerunt undiquaq; sunt collecti ex gentibus.

28. Et consequens, ratione status, ab accidente totaliter: Et pauperes. *Anime sue egestatem agnoscentes: quia si converti debent, à Deo convertendi sunt Ierem. 31, 18. qui suo iudicio apud semetipsos infirmi sunt, habet Gregor.*

29. Et debiles. Nihil virtutis sibi tribuentes, malè habentes Luc. 5, 31. uti ait Lyra.

30. Partialiter: claudosq;. Defectus proprios considerantes, qui rectos gressus in operatione non habent.

33. Et cœcos. Visum ab illicitis reprimentos, quiq; nullum ingenii lumen habent, qui dicunt illumina oculos meos Ps. 13, 4: Ide-

oq<sub>3</sub>, habet August. de verb. Dom. l. 34. illic non venerunt divites, sani quasi bene ambulantes, & acute cernentes multum de se presumentes. Veniant mendici, quia ille invitat, qui propter nos pauper factus est, ut illius paupertate ditesceremus. 2. Cor. 87. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico, sed malè habentibus Luc. 5. 31. Veniant claudi, qui ei dicant, pone gressus meos in semitis tuis, Ps. 17. 5. Veniant cæci, qui ei dicant illumina oculos meos Ps. 13. 4.

32. Quoad factum: introduc. Ut ostendat ministerii efficaciam, & Dei misericordiam, qui voluit primum, antequam ad gentes ablegaret Apostolos, ex Judæis convocare quemadmodum multi in Judæis crediderunt Act. 2. 41. etiam vicini gentiles, ut Samaritana mulier, Joh. 4. 7. Leprosus Samaritanus Luc. 5. 12.

33. Quoad locum: huc. Hoc est in Ecclesiam: simulq<sub>3</sub> docet, quod simus pauperes, debiles, claudi & cæci nisi Deus nos vocet. Agnoscat ergò se humana infirmitas, inquit Prosper de libro Arbitr. ad Ruffin. & cum mortui vivificantur, cum cæci illuminantur, cum impii justificantur, confiteantur & vitam & lumen & iustitiam suam Iesum Christum: & qui gloriatur, gloriatur in Domino, non in se  
qui

qui cum esset impius & cæcus & mortuus, à liberatore suo gratis accepit, & justiciam & lumen & vitam. Et dum morum vitia debilitate signantur, liquet, quia sicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt; ita hi quoque peccatores sunt, qui invitantur & veniunt dum peccatores superbi respiciuntur, inquit Gregorius ut peccatores humiles eligantur.

34. Et modus: estque mandati imperati observatio v. 22. in quo ostendit tum factum, quoad personam: & ait servus, domino. Ut doceat modum compellendi & renunciandi esse à Domino.

35. Et materiam: factum est quod imperasti. Ita servus, qui, qua suarum fuerant partium, se strenuè fecisse dicit, ut ostendat rationem esse reddendam utriusque factorum; quodque à mandatis non sit recedendum, sed fideliter ea sint expedienda, nec propter unius aut alterius exceptionem sit recedendum.

36. Tum argumentum, seu causam impulsivam: Et adhuc locus est. Nempe in cælesti regno, ubi suscipi debebat numerositas gentium, erat, ait Gregorius: quippe cōsequens erat primùm ad fidem Iudæos potius accedere, quoniam verò sibi sponte oblatum beneficium respuerunt, in contrarium versares est, habet

**Ambros:** Hom. 7. in c. 2. Matt. siquidem Ec-  
clesia plures semper accipere est parata, ait  
Lyra.

37. Et ad convivium congregatio.  
v. 33. in quo persona: & ait Dominus servo.  
Ita per Dialogismum ista proponuntur, ut eò  
melius discantur, simulq; ostendatur à quo &  
per quos vocatio gentium expediatur.

38. Tum res ipsa, quoad circum-  
stantiam, quæ continet locum: exi in vias:  
Postquam enim intraverunt Israelita, quos in  
gloriam suam predestinabat Deus, habet The-  
ophyl. benignitas Dei etiam in gentes diffusa  
est. Per hos enim, qui in via, gentes intelligen-  
tur. Nam Iudæi fuerunt intra civitatē, ut qui  
legem susceperunt & civiliorem vitam sortiti  
gentiles vel à testamentis & à lege Dei alieni  
erant, nec sanctorū cives facti, nec in una via,  
sed in multis rusticitatis & iniquitatis versa-  
bantur. Augustinus per vias intelligit hereses  
lib. 2. c. 17. contra secund. Gaudentii Epist.  
Via quippe hoc loco significant diversas opi-  
niones. Ut itaq; gentes ad angustam venirent  
viam ex Matt. 7. 13. iussus est exire in eam, quæ  
ad vitam ducit, inquit Ambros.

39. Et sepes. Per quas schismata in-  
telligit Augustinus, & perversas opiniones.

Pau

Paucis: per utrumq; vocabulum gentes intelligit, & gentium vocationem: siquidem in Christo benedicentur omnes gentes Gen. 22, 18. ut gentes habeant, quare Deum laudent Rom. 15, 9.

40. Et modum: Et compelle intrare Non corporali modo, sed per conciones legales, p̄ miracula, per calamitatem. Ut sciamus magna virtutis Dei esse credidisse gentes in tanta versantes ignorantia, inquit Theophyl. ideo dixit compelle intrare. Nisi enim fuisset eius, quae predicabatur, virtus & magna fidei veritas, quomodo persuasi essent homines, in idolorum cultu insanientes, & foeda operantes, ut repente agnoscerent Deum, & spiritualem diligerent vitam? Hoc & Magistri admoneantur, q̄ quod opera pretium discipulos, nolentes etiā, docere ea, quae ipsis conveniunt, debent. Quippe quatuor sunt genera hominum, habet Bernardus in sententiis regnum caelorum possidentium. Alij violenter rapiunt, qui dereliquerunt omnia & sequuntur Christum; alij mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur: verbi gratia pauperes necessarii, quos scilicet hic ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro ignis iudicii aeternum puniat. Compelluntur multifariis necessitatibus

84  
tibus, & oppressionibus afflicti, qui, mira Dei  
providentia dum temporalem poenam, si non  
libenter, tamen patienter sustinent, vitam con-  
sequuntur eternam: sed modus est adhibendus:  
si enim terrerentur, & non docerentur improba  
dominatio videretur. Et rursus si docerentur  
& non terrerentur vetustate consuetudinis ob-  
durarentur, & ad capefcendam viam salutis  
pigrius moverentur, habet August. Ep. 48. ad  
Gaudentium. Nemo enim invitus ad fidem  
cogendus est: nec religionis est cogere religio-  
nem, quae scilicet sponte suscipi debet, non vi, ait  
Tertul. lib. 1. ad Scapulam c. 2. Defendenda  
enim religio est non occidendo, sed monendo,  
non sevitia, sed patientia, non scelere, sed fide,  
habet Lactan. lib. 5. c. 20. Unde August.  
Tractat. 6. in Johannem inquit Gemendo  
vocate, non rixando, vocate invitando, vocate  
jejunando.

41. Tum finalis causa: Ut implea-  
tur domus mea. Non enim vult Deus predi-  
cari verbum suum frustra, sed vult Deus, quo  
numerus electorum sit completus.

42. Et propter poenam, ubi est ejus-  
dem declaratio v. 24. in quo subjectum: di-  
co vobis, quod nemo virorum illorum, qui  
vocati sunt. Uti habet Syrus ne unus quidem.  
Et viri dicuntur, sed ad speciem sapientes, cum

nom.



non allegent veras causas, sed tantum fucosos  
 pretextus, artificiosa mendacia, & tamen sunt  
 vocati, ne quid pretendant.

43. Prædicatum est: gustabit cœnam  
 meam. Valde est tremenda sententia, qua pro-  
 tinus tamen infertur: Intenta tamē cordis aure  
 percipite, fratres, non potest, ait Gregor. hom.  
 36. super Evang. ut tanto minus sentiatis in  
 examine quanto nunc formidolosius auditis  
 in predicatione. Merito enim è regno Dei ex-  
 cluduntur, qui terrena cœlestibus præferunt.  
 Et si non gustabunt cœnam, quid ergo gusta-  
 bunt? infernales epulas. Apoc. 21. 8, Nemo  
 ergò contemnat, nec dum vocatur sese excuset,  
 cum voluerit intrare, non valeat. Agnoscamus  
 itaq; tempus visitationis, Luc. 19, 44. observe-  
 mus illud bodie. Ps. 91, 8. Ut gustemus quàm  
 suavis sit Dominus Ps. 34, 8. & sic transeamus  
 per bona corporalia, ne amittamus eterna.



## NOTÆ.

I.

**H**omo quidam ad cœnam invita-  
 vit multos) Considera Deum quo-  
 tidie invitare; ut discas, quoties audis, ob-  
 servare invitationem.

II.

## II.

**C**oeperunt se excusare) Considera  
hominum negligentiam, & pretextus  
vanos, ut discas civilibus allegationibus;  
uti.

## III.

**I**Ratus paterfamilias) Considera De-  
um irasci non comparentibus; ut discas  
comparere nisi velis eternum excludi.



## CASUS.

An quis cogi ad religionem possit?

**A**firmandum videtur, 1. quia habetur  
in textu: compelle intrare Luc. 14, 23.

2. Augustinus tom. 2. Epist. 49. agit  
de hereticis vicogendis.

3. Jura volunt, ut ex l. C. de SS. Trinit.

4. Si Germani primi & Saxones non vi  
coacti, adhucdum sub gentilissimo vivere-  
mus.

**Contra** 1. Invitantur ad nuptias, ubi  
nolunt comparere, habentur indigni v. 24.

2. Siquidem nec precepta, nec exempla  
habentur: quia fides consistit in notitia &  
assensu mentis.

3. Ju-

3. *Fura inquit, c. 5. dist. 45. pastores facti sumus, non percussores & c. 8. ibidem. Nova atq; inaudita est ista predicatio, quæ verberibus exigit fidem c. qui sincera 3. dist. c. 33. ad fidem 23. q. 5. quod autem 3. dist.*

4. *Inde & Calanus Philosophus scripsit ad Alexandrum Mag. animis invitis nullam vim inferas, nihilo magis quam si lateres & ligna cogas vocem emittere: nullus rex, nullus princeps potest efficere ut quicquam agamus præter animi sententiam Philo in libro quod omnis.*


*Ad contraria i. illud compelle non est reale & violentum, sed verbale & svasorium, consistens in continua verbi & penitentiae predicatione, & severa pœnarum comminatione. Hinc Theophylactus: Ut sciamus magnæ Christi virtutis esse, credidisse gentes, in tanta versantes ignorantia, ideo dixit compelle: Nisi enim magna fuisset ejus, quæ predicabatur, virtus & magna vis veritatis, quomodo persuasi essent homines?*

*Ad*

*Ad 2. Augustinus de eadem vi loquitur, dum ipse inquit l. 3. contra Crescon. c. 50. nulli unquam bono placuit servire in hominem haeticum usque ad sanguinem.*

*Ad 3. Aequè illa loquuntur de licitis modis & modis, unde Mencha l. 1. contra illust. c. 24, n. 2. Hieron. de Covallos refutat Hostiensem.*

*Ad 4. Facti est, non juris. Deinde subjugati demum, non coacti, propria voluntate religionem apprehenderunt Christianã. Unde Wittekindus & Beringerus etiam in castris prope Magdeburgum curavit sese baptisari, ubi primũ vidit administrationem cœnae uti in Chronicis Dresseri uberius declaratur. Aliud tamen est, si semel receperint quo constanter maneant, cogi possunt aut discedere. Unde etiam jus emigrandi in Transactione Passaviensi. Cran. de pace religionis.*



**B**Elidibus veluti thalami quae jura negarant.  
Quae portent humeris, unda pennis erat.  
Si ceterum homo quaedam coenam, quae magna, pararat.  
Ac ad eam populus quisque vocatus erat.  
Emisit servum coena sub tempore dictum:  
Euge venite cito! cuncta parata patent.  
Excusant se: primus ait mihi villa coempta:  
Excusatus ero cernere quippe volo.  
Alter ait: juga quingenta bovis sunt empta; sed illa,  
Excusatus ero, vado probare modo.  
Tertius at dixit socialia foedera sanxi  
Conjugij: non hinc ipse venire queo.  
Dixit ut haec servus rediens irascitur hospes:  
Ex plateis omnes tunc et adesse jubet.  
Sint inopes, agri, claudi, sint lumine capti,  
Huc at in hospitium duc mihi mando meum.  
Servus ait: factum, mi despota, jussa peracta:  
Est et adhuc vacuus sed tamen ecce locus.  
Iproperanter ait Dominus de seipibus addas  
Ac compelle viros, quo mea plena sient.  
Sed tamen: haut ulli digni quicumque vocati.  
Gustabit coenam, credite, nemo meam,  
Foemina, taurus, ager, sed me ne, Christe, mori.  
Nullus, nec mihi sit foemina, taurus, ager, (tur  
Pluribus ut monstrat BELOVIUS ista, sed in sta  
Non ex Belidibus laudis at omen erunt.

id quod optat

GUEINZIUS.

GEORGIUS BEELOVIUS.

*Per Anagrammatismum.*

JESUL, EUGE ROGO SUBI

**C**Hristi dū cœnā magnā simile Belovi  
Doctè mōstrasti timemas in hisce tuis.  
In me, si considerat hæc, cor q̄libet ardens  
Incipit, *euge rogo lesule chare sub!*

*Joh. Melchior Starckloff*  
*Erfordia Thuringus.*

---

Amico Respondenti  
Tetrastichon.

**H**æc themata è celsi pompato cardine  
cœli

Viderunt, Sophiæ Numina sancta piæ  
Theilogiam vocitant: mirantia farier orsa.  
Hic juvenis sancti gloria juris erit.

*Confratri suo*

*Adamus Senffius W. M.*

---

**Π**εῦξε θεὸς πᾶσιν περ μαλλίεα δαῖτα βρο-  
τῆσιν

Πάντας σωθῆναι ὅτι μάλισα ποθεῖ.  
Αφραδέως πολλοὶ δ' ἀφείδον δειπνον ἀγαυόν  
Τὸν δ' ἀντέσπασε βῆς, τὸν δ' ἀλοχῶ τὸν  
ἀγρός.

Τμήμασι βηλόυι θεῖον μέγα δειξε, βαδίζη  
Σύνδροπ θεῖο εἰλαπίνης ἔσεται.

*Heinricus Camerarius*  
*Aconiensis Saxo.*

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17

EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TIARUM  
ELICARUM

tio XXXIII.

RÆSIDE

NO GUEINZIO

asii Hallensis

Rectore

condente,

O BELOVIO

gia Saxone

l. post Trinitatis

cl. Id. III.



SAXONUM

m Melchioris Oel-

blegely

*Dr. Hutz*